

Institit, arrestas vix dum sonus impulit aures,  
 Senserunt imo in pectore mirificos  
**A**dtoniti motus animorum; immania corda  
 Cœpere ac sævam ponere barbariem  
**P**aullatim; ut, verni quum sibilat aura Favoni,  
 Deponit tumidas molliter unda minas;  
**I**lle autem placidum leni crispat mare flatu,  
 Permulcetque alis cœrula puniceis.  
**A**c velut Hyblææ volucres examina densant,  
 Cymbala quum, & Phrygiæ sistra sequuntur Opis;  
**O**rphæa sic tum omnis gens effera circumstabant,  
 Quos vates multa callidus illecebra  
**C**aptabat citharæ pertentans fila sonantis,  
 Dulciaque ignota carmina voce canens.  
**I**amque adeo illectis nutuque expromere cœpit  
 Senfa animi, & voces addere, quamque suo  
**N**omine rem signans, linguæ ut commercia starent;  
 Quæ postquam princeps intulit, altiloquo  
**M**irantum adgressus mentem percellere versu,  
 Et turbare acri concitus eloquio.  
**Q**uis furor est, miseri, glandem, atque cubilia propter,  
 Sævam fraterna spargere cæde manum?  
**Q**uod genus hoc vitæ? qui mos per lustra vagari  
 More suum, & pecoris caprigeni? rigidam  
**A**nne hiemem, ventosque juvat perferre nivales?  
 An juvat adsiduo corda pavore quatii?  
**E**t media venienti urso decadere nocte,  
 Et fugere impastæ quum fremit ira Leæ?  
**A**h pudeat fœdi vietus, pigeatque laborum;  
 Jam vitam in melius vertere tempus adest.  
**T**empus adest, ratio quo se jam proferat alma  
 Noctem abigens. Divuni progenies, animum  
**N**osce tuum, jam nosce istum, qui mente coruscat  
 Fulgor, quem puris Luna nitens radiis